

Léctio Epístolæ beáti Pauli apóstoli
ad Romános

5, 5b-11

Fratres:

- ^{5b} **C**áritas Dei diffúsa est in córdibus nostris
per Spíritum Sanctum, qui datus est nobis.
- ⁶ Adhuc enim Christus,
cum adhuc infirmi essémus,
secúndum tempus
pro ímpiis mórtuus est.
- ⁷ Vix enim pro iusto quis móritur;
nam pro bono fórsitan quis et áudeat mori.
- ⁸ Comméndat autem suam caritátem Deus in nos,
quóniam, cum adhuc peccatóres essémus,
Christus pro nobis mórtuus est.
- ⁹ Multo ígitur magis iustificáti nunc in ságuine ipsíus,
salvi érimus ab ira per ipsum!
- ¹⁰ Si enim, cum inimíci essémus,
reconciliáti sumus Deo per mortem Fílii eius,
multo magis reconciliáti salvi érimus in vita ipsíus;
- ¹¹ non solum autem, sed et gloriámur in Deo
per Dóminum nostrum Iesum Christum,
per quem nunc reconciliatióne accépimus.

Verbum Dómini.